

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM

Die Iovis 2. Ianuarij.

M. LVDOVICO MORIN, Doctore Medico, Præside.

An Naturæ Morborum Medicæ?

I.

NATVRA quæ hoc in universo suas magnificè expandit opes, nunquam magis mirabilis videtur, quàm in humano fabricando corpore, quod ut omnium quæ producit compendium pro suâ liberalitate ac potentiâ multiplici facultatum supellectile, ut omne actionum genus exerceret, instruxit, adornavit. Inde homo plus solus agit quàm cætera animantia, vivit, spirat, sentit, appetit, movetur, quod plantis & brutis commune: sed quod majus est, cogitat, ratiocinatur, judicat, meminit, quæ sunt mentis dona, quæque divinam omninò designant originem. Hac in dignitate semel constitutus, semper staret possessor integer, nisi humorum qui totum corpus alunt, fovent, lambunt, perturbatione quandoque percelleretur tam nobilis machina, & tandem longè minori artificio quàm cùm constructa est destrueretur. Enimverò humores amici quandiù debitis ex æquo administrantur & uniuntur qualitatibus, ut & infensissimi ubi impetuosiùs feruntur, ubi salsedine, amarore, acredine plus quàm par est violantur & armantur. At adversùs noxas ab hu-

moribus vel etiam aliunde importatas ſæpè ſola valet natura cuique corpori peculiaris, quæque aliud nihil eſt æſtimanda, quàm harmonia & concentus motus & quietis ab ipſo corde ut à pendulo maximè pendentis.

I I.

HVMORVM motus certâ quâdam definiuntur periodo, à quâ dies critici ſuam bonitatem aut malitiam obtinent. Ad regulas naturæ, hoc eſt, prout convenit corpori, motus ſe habens, ab omni labe tuetur ipſum in quo regitur corpus, ut vindex & aſſertor primùm poſitæ ſanitatis, nempe quidquid humoribus convolvitur ipſis non accommodum, quidquid vitij parti cuilibet inuritur, ſupremo humorum motu ut omnium moderatore, diſſipatur, evaneſcit, retunditur, non ſecus ac aquæ rivus, aut aquarum ſumma potentia quidquid ſibi innatat alterius indolis, ut paleas, feſtucas, ligna, trabes, ad margines amandat. Iam quoniam omnium liquidorum peculiaria ſunt officia, & ſuus unicuique motus à denſitate & tenuitate promanans, in bile velocior, in ſucco melancholico lentior, in pituitâ lentiſſimus, moderatus in ſanguine: Ex tantâ motuum varietate, unicus enaſcitur omnibus aliis proportionatus; cùmque ſurſum & deorſum feruntur, ſi quid vitij contraxerint, quilibet ſuo redditur loco, meatibus aditum aperientibus, recludentibus exitum. Quæ ſecretio, ut & aliæ functiones, ab intimâ partium ſtructurâ expectanda ſolùm eſt, adjurante ſanguinis ῥώμῃ. Humorum ſcilicet commotæ & agitatæ particulæ diriguntur à viarum quas ſubeunt anfractibus, necnon aëreâ illa cerebri ſubſtantiâ, quæ à ſummo in nervos convolat, licèt impetu propriæ indoli planè contrario. Horum omnium tàm arcta ſocietas eſt, ut in mutuam ſemper vigeant conſervationem, & ita à ſe mutuò pendent, vix ut alterum abſque altero ſtare queat.

I I I.

HIS tot & tantis commodis quandiù gubernatum corpus floret, tandiù incorruptâ fruitur ſanitate. Verùm illa offenditur multis undiquaque incurrentium morborum inſultibus, in quos minima humorum injuria, partim malâ affectione, vel etiam ſpirituum errore neceſſariò labitur. Vitioſa materia, ſuis legibus violatis, quaſi ſubortâ ſeditione, modò in partem ſe ſe expandit, ibique ſtabulatur, modò vitæ arcem turbulenter impetit, quam vario agitat ſuccuſſu pro diverſo humorum genio, à quo omne febrium genus enaſcitur. Febrilis fomes in corde accenſus omnium ruinam machinatur, flammas quocunque fert, & nimio motu liquat pinguia, carnes conſumit, & fibras carnium fundamenta diſrumpit; unde non ſolius cordis, ſed & totius corporis hic morbus eſt dicendus. At quas ſtrages non edit in parte reconditus contra propriam ſortem humor? Certè ubi per propria vaſa non vehitur, ſtationem ſuam alio compenſat motu. Namque quieſcendo pro indole ſolet lædere; in mammis & utero carcinomata pertinaciores affectus progenerat, in glandulis choiradas, in articulis tophos, gulæ & veneri deditorum in ſenectute

grande ſupplicium. Quandoque humor ſtagnans complete puttidus, & partem ipſam inficit, & remotiores tetrâ & ſubtili anathymiaſi, quod omnium eſt malorum graviſſimum, in tanti infortunij conſortium trahit. Cùm ſpiritus ſine regulâ feruntur, ut ventus arbores eradicans, ὁλομελὴν ſuccutit & convellit. Licèt hic motus conſumptâ causâ ſtatim evaneſcat, aliàs perſeveraturus, ſi à viâ labefactatâ, quod in tremore contingit, ortum haberet. Denique quot modis miſcentur humores, tot morborum formas efficiunt; adeò multiplex morbus pro unâ ſanitate.

IV.

IN his rerum anguſtiis fatigata & oppreſſa natura, licèt omnium cauſa, brevi ſuccumberet, niſi tanto onere aliquantulùm levaretur. Quid ergo agit Medicus venæ ſectione & ſplendido remediorum apparatu? In auxilium laborantis venit. Illa quaſi novis viribus acquiſitis alacriùs ad obicem expellendum aſſurgit, motuum errores, ſpirituum aberrationes, humorum vitia, quantâ poteſt vi emendat, reſtituit, reſarcit. Hæc quæ tota motus eſt, omnia ad motum revocat, quæ ſopita, lenta, pigra, concitat; quæ vehementiora retinet, craſſa & denſa liquat, liquidiora & fluidiora conſtringit, clauſa reſerat, aperta occludit; uno verbo, ſi modò juvetur, rem totam ad priſtinum reducet ſtatum, & quæ damna agitante morbo perpeſſa eſt, majori lucro reparabit. Hinc Medicus naturæ adminiſter, non artifex, quâ parte illi fit injuria & attendit & occurrit. Nam larga ſanguinis miſſione materiæ offendentis molem προχείρως imminuit, ut illa adversùs minorem noxam potentior evadat; catharticis quoque onus quo premitur foras extrahitur. At catharticis vis nulla, niſi calore ſuſcitetur ad officium, illud ab univerſo corpore accerſit peccantes & vitioſos humores, nec eſt neceſſe ut ad intimas penetret cavitates: quidquid enim eſt in corpore, ſi modò fluat, ad exitum tendit, cùm ejus aliqua pars ſecernitur, quo ſanè modo venæ ſectio ab omnibus evocat partibus. Hoc ἡγεμονικῷ remedio pro ſcopo multoties celebrato, plus natura valet, & amiſſum purpureum liquorem ſenſim reſtaurat propriis inſtrumentis; ſola namque ſuas viarum ambages novit, quamvis ἀδίδακτος, & debitam liquoribus temperiem. Nec ſperes ſanguinis inopiam aut partium offenſiones, ſanguinis ab animali in venas transfuſione corrigi & retardari: Crudele remedium à quo multa proveniunt incommoda: quomodo enim id partibus accommodari poteſt, quod non partium τύπῳ ſit apparatum? Temerè laboras in contrahendis naturæ operibus.

V.

IVRE itaque natura omnium princeps, omnium moderatrix & omnium victrix habenda eſt. Ab hac Medicus, ſi ſapienter & pro dignitate agat, omnes ſuas leges nanciſcitur. Nihil priùs movet quàm illam ad motum proclivem obſervarit, quàm illa ſuperante calore vim morbi fregerit, quàm ſui conatus manifeſta dederit ſigna. Hanc ſequitur euntem, non prætervolat: quid illa expoſtulat concedit. Quæ tamen ſponte fieri animadvertit, ea arte aſſequi conatur, nec ullus in conſilio error, & opus

adimplet, si modò illud cum naturâ inchoat, illa secùs repugnax, ferox, effera. Sæpe non expectatâ remediorum ope in sui vindictam luculentiori motu prorumpit, cum urinis, sudoribus, aut illicò majori subortâ hæmorrhagiâ aut diarrhæâ, amandat quod sibi nocet, hisque magnis salutaribus exercendis operibus certos sibi destinat dies. Nunquam illa majori pompâ suam exerit potentiam, quàm in morbis acutis: humorum ferocientium indolem mitigat, refrenat impetum, cavitates amico & ad obsequium facili replet spiritu, fugato mendaci; his modis fluentem humorem cohibet, incuneatum concoquit & resolvit, & ab iis incommodis quibus summum periculum, citò & intra breve tempus se se expedit. Quinetiam, quod non satis mirere, sordidè hiantia ulcerum ora concludit, fœdas contusiones delet, ferro inflicta vulnera constringit; & si quid deest pro magnificentiæ penu iterum generat. Iuvetur illa quantùm volueris, an minùs illius vigori debetur victoria, quæ sola sæpius sospitalis est? Quodcunque obtuleris auxilium, nisi ex primæ motricis imperio, error est & noxa irreparabilis, satiùsque est hanc sibi dimittere, quàm intempestivè irritare; primum salutis momentum à naturâ, & non raro desperatis rebus, dum victa creditur, vincit.

Ergo Naturæ Morborum Medicæ.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ludovicus Gallais.	*M. Petrus le Large, Primarius Lusitanorum Reginæ Med.*	*M. Stephanus le Gaigneur.*
M. Franciscus Goüel.	*M. Anton. Ioan. Morand.*	*M. Petrus Bourdelot, Primarius Reginæ Suecorum Medicus.*
M. Petrus Cressé.	*M. Michaël Denyau.*	*M. Carolus le Briton.*

Proponebat Lutetiæ GVILLELMVS PETIT, Constantiensis, A. R. S. H. M. DC. LXVIII.

PARISIIS,

Ex Typographia FRANCISCI MUGUET, Regis ac Illust. Archiepiscopi Paris. Typographi.